

(Clarissime Domine. Gavisus sum, quod Missam Angeli Custodis
Romae approbatam, acceperis. Susplicabar enim ad te non pervenisse,
cum et Pater Gulielmus, et ego tam longo tempore nuncium de Missa
illa recepta desideraremus. Liber meus a te recusatus multum gratiae
5recepisse videtur ob characterum pulchritudinem, et chartae bonita-
tem. Si quando conciones meae Lovanii a me olim habitae, recuden-
dae videbuntur, oportebit diligentem correctorem adhibere, qui non
solum errata emendet, quae ipse notavi, sed multo plura, quae neglexi,
cum a quolibet utrumque perito animadverti possint. In approbatione
10 operis, quae praecedit concionem prima^m, debere oportebit id quod di-
citur de loco, ubi habitae sunt conciones; non enim (ut ille scri-
bit) habitae sunt intra domesticos collegii parietes, sed in templo
S/cti Michaelis, quod satis procul aberat a collegio. Non mireris
epistolae brevitatem; nam heri sub vesperam literas tuas accepi, et
15 hodie respondere cogor aliis multis, iisque gravissimis occupatio-
nibus impeditus. Vale vir optime, amice charissime, et opera mea,
sicubi tibi necessaria videbuntur, libere utere. Datum Romae die 4
Julii 1615.

D.T.

20

addictiss/us

Robertus Card/lis Bellarminus.

(adresse):

Clariss/mo D'no D'no Balthassari Moreto typographo. Antverpien.

Antverpian.

(cachet)

25 Anvers. Musée Plantin. Ontvangen Brieven LXXVI f.577.